Lacrymæ
Reipublicæ Londinensis,
sive
EPICEDIA
Præcipuorum quinq; Virorum,
Vnius Syndici, & quatuor Equitum Senatorum Ex-Prætorum,
apostrophicè adornata:
Anno undecimo & duodecimo Serenissimi & Potentissimi Magnæ Britanniæ Regis
CAROLI.

BIBL. CANT. ACAD.

Ad Senatum
ex insignibus Vrbis.

Crux tibi Lux Fidei supereſt, Venerande Senatus,
Hanc Astræa piis monstrat ad astra viam.

Londini Typis *Thomæ Cotes.* 1637.

Nobiliſsimo, Ampliſsimo & Prudentiſsimo
Senatui Londinenſi:
Honorabiliſſimo Dn. Regio Prætori, ſive Majori,
EDVARDO BROMFIELD:
Conſultiſſimo Vrbis Syndico, ſive Recordatori,
Thomæ Gardinero, Armigero:
Honorabilibus 26 Senatoribus, ſive Aldermannis,
Equitibus & Armigeris:
Honoratiſſimiſq; ex illis duobus Vice-Comitibus
Gulielmo Abel & Iacobo Garet:
Benefactoribus æternùm colendis,
in communi luctu Patriæ,
à ſummo & ſapientiſsimo univerſi Mundi Gubernatore DEO,
Salutem, conſolationem, protectionem, felicitatem & incrementum Reipublicæ precatur.

Exhibeo Vobis ſocij monumenta doloris,
Bis tredecim Patriæ, ſidera clara, PATRES.
Aureus haud ſemper placido Sol lumine lucet;
Interdum tenebris nox tegit atra polum.
Naſcendo moritur, moriendo renaſcitur herba,
Hanc methodum ſolus tradit in Orbe DEVS.
Ne foret orba parens Natura propaginis almæ,
Continuò ſtirpis ſurgit imago novæ.
Succiſis teneras poſcunt viridaria plantas,
Tranſpoſitoq; hortus flore coronat humum.
Sic etiam Veſter prudenti mente Senatus
Defunctis alijs ſumit in Vrbe pares,
Subſtituitq; novas antiquis ritè columnas,
Vt ſit Iuſtitiæ robore plena Domus.

Humillimus cliens
IOH. SICTOR *Bohemus.*

1689:01

Mnemonicon

in honorem exequiarum

Honorabili Dn. Equiti Richardo Deane,

celeberrimæ Reipublicæ Londinensis ferè per 16 annos Senatori Ex-Prætori, & Patri Patriæ dignissimo, Anno Domini 1635, die 15 Iulij mortuo.

SAt fuit aucta tuis florens Rēspublica curis,
Civibus & longo tempore nota Fides.
Officij laudes meritis probet ipse Senatus,
Qui dare jus cunctis cum ratione potest.
Vt populi stet firma salus ad Regis honorem,
Ille DEI fidus testis in Vrbe manet.
Sic fluit emeritis Patribus jucunda Senectus,
Conscia mens recti quando præire solet.

Epicedion

ad Venerabilem & Generosum Virum,

Dn. Robertum Mason *Armigerum,*

Hospitij Lincolnienſis J.C^tum & Consiliarium,

Reipublicæ Londinensis Syndicum,

sub finem Anni 1635, die 20 Decembris

piè vitâ defunctum.

LAus Patriæ, Mason, Patriarum gloria Legum,
Indeq; Iuridicæ Lux Veneranda Togæ.
REX Pius undecimo regnabat Carolus anno,
Quo Trinobantinæ Syndicus Vrbis eras.
Hospitium Themidos te Lincolnense Lycæum
Consilio clarum fecit & arte Virum.

Vnde tot integritas peperit tibi jure clientes,
Vt fueris justi Palma probata fori.
Nam solidè nôras tractare negotia rerum,
Cautiùs & causas conciliare graves.
Iuvisti toties prudenti mente Senatum,
Curia judicio dum fuit aucta tuo.
Ritè perorantem te REX audivit in aula,
Hîc ubi Grinvici Regia pulchra nitet.
Tunc tulit emeritos Prætor torquatus honores,
Dum tibi REGIS amor corq; animum q;dabat.
Quàm Pietate DEO, reliquis probitate placebas,
Ipse Magistratus plura referre potest.
Heû properè in medio sublatus funere cursu
Tristitiam Patribus das superesse tuis.
Hos dolor ex obitu; sed te manet alma voluptas,
Dum tibi jam cœli Curia celsa patet.
Aurea te rutilo Pietas invexit Olympo,
Cœlitibusq; facit conditione parem.
Flectere sat poteras Regem, Procereſq; Britannos,
Iam poteris summum tollere laude DEVM,
Inter & Angelicas Christum celebrare cohortes,
Et cum Palmigero jubila ferre choro:
Iam post mundanas potes & requiescere curas,
Iustitiæq; stolâ candidiore frui.
Non datur in terris æternùm vivere cuiquam;
In superis tantùm vita perennis erit.

Monumentum Gratitudinis,

in honorem exequiarum,

Honorabili Dn. Equiti Hugoni Hammersley,

celeberrimæ Reipublicæ Londinensis per 18 *annos Senatori, Ex-Prætori meritissimo, Patri Patriæ & Mæcenati optimo:*

Paulo

Paulò antè adhuc vivo.

SI quis in hac celebri Tameſis, quâ reſluit, Vrbe
Laude ſit ornandus: tu mihi primus eris.
Stemmate Patricio namq́; hîc oriundus avitum
Illuſtras ſolidâ cognitione Genus.
Inter bis tredecim Patriæ florentis ocellos,
Et Grajo, & Latio ſcis ſatis ore loqui.
Aurea te Pietas Fidei probitate coronat,
Candor & integrum comprobat eſſe Virum.
Contulit hinc meritò tibi Curia ſemper honores,
Vt fieres Patrii dux, pia cura, gregis.
Iudicis officio primùm defunctus honeſtè,
Servaſti REGI dexteritate Fidem.
Inde Senatorem ſerie tot agendo per annos
Exemplum reliquis Civibus arte refers.
Denique Conſul eras ſceptro decoratus & enſe,
Dum Prætura Sèni ceſſit honore gravis.
Quod ſupereſt, Patriæ meritus Pater ergo vocaris,
Et torquatus Eques, dum tua geſta legis.
Ante obitum quamvis hominum ſit nemo beatus;
Tu tamen hoc ſolo lætior eſſe potes:
Quòd florere pios videas in Pace Britannos,
Gaudeat & tantis Vrbs populoſa bonis.
Si quid adhuc deſit, quod te decus invehat aſtris,
Hæc ſatis in terris te tua fama vehit.
Pro meritis Patriæ, curis, varioq́; labore,
Perpetuum nomen, Magne Senator, habes.

Tandem 19 Octobris placidè in Domino mortuo.

Iam, Venerande Senex, venit tibi meta dierum,
Terminus & vitæ cum requieq́; ſalus.
Vrbs Tameſina tuos poterit memorare labores,
Cum meritis gratum pro Pietate decus.

Ornâsti Patrium dignâ virtute Senatum,
Consilio Cives, sedulitate Forum,
Perq; gradus omnes penetrasti culmen honorum,
Quos pia Res sancto publica more gerit.
Bis novies plenos magnâ gravitate per annos
In Patria constans Vrbe Senator eras.
Intervenit enim spatio Prætura novenni
Assiduò curis Sparta probata tuis.
Aureus exstabat torques insigne decorum,
Ad commune dabat cor & alacre bonum.
Iuvisti Sociam sociali merce cohortem,
Cui datur Euxino quærere lucra mari.
Non minùs extremos vigilans Director ad Indos
Emporio tuleras, sideris instar, opem.
Militiæ Præfectus adhæc graviore Senectâ
Patricijs dederas calcar ad arma soli.
Præ reliquis Vrbis regio tua gesta fatetur,
Te Patriæ meritum jure fuisse Patrem.
Nil aliud restat, nisi post tot Palma labores,
Quam Duce jam Christo sumis in arce poli.
Hæc est vera salus, quæ reddit honore beatos,
Datq; Senatores ferre trophæa pios.

Aliud monumentum Gratitudinis

in honorem exequiarum,

Honorabili Dn. Equiti Roberto Parkhurst,

celeberrimæ Reipublicæ Londinensis per 12 annos Senatori, Patri Patriæ meritissimo, & post tot exantlatos Regalis Præturæ labores, Anno Domini 1636, die 20 Octob. Purfordiæ in Comitatu Surriæ piè in Christo mortuo & 27 ejusdem Mensis in vicino oppido Guilfordiæ sepulto.

Siccinè

Sic cinè jam restat Fratri moribundus Achates,
Iungitur & dextræ dextra probata suæ!
Vix benè cœlestem petis, *Hammerſlae*, Senatum,
En tibi sit Parkhurst fidus ad astra comes.
Ambo pares animis, virtutibus ambo perennes,
Quos pia laus celebri semper in Vrbe vehet.
Nam Patriæ dignos meritis cumulâstis honores,
Ceû duo purpureæ lumina clara Togæ.
Sed, *Parkhurſte*, tuos celebrat Prætura labores,
Quos tuleras constans non sine mole gravi.
Extera dum varias subeunt tot Regna ruinas,
Et Bellona ferox spargit ubiq; faces,
Ne Mars ipse suo turbaret in Orbe Britannos,
Sed foret omnifluis insula plena bonis,
REX pius augustam decrevit in æquore classem,
Indeq; militiæ certa tributa suæ.
Tu Pater emeritus Patriæ, Consulq; fidelis
Sustinuisti humeris, roboris instar, onus:
Quotidiè justo censebas ordine Cives
Cuilibet appendens symbola lance pari.
Hinc quoq; nactus eras Regali laude favorem,
Grinvici solito more creatus Eques.
Testis eris Magni Custos Venerande Sigilli,
Nomine qui Regis præmia tanta dabas.
Intereà Pietas virtutum sedula nutrix
Perpetuò vitæ norma sacrata fuit.
Illa salutares promovit Numine curas,
Direxitq; tuam, ceû Cynosura, domum.
Huic comes in rebus Prudentia recta gerendis
Consilio Patriæ suppeditavit opem.
Integritas candorq; decens ætate senili
Ornârunt canum, ceû diadema, caput.

Hinc

Hinc alacri vultu ſenſiſti in mortis agone
Dulce refrigerium mentis, amore DEI.
Cum Symeone pio ſiquidem, pro munere, Chriſtũ
Vidiſti Fidei luce, ſalutis opus,
Quem dum non potuit vox oris adempta fateri,
Geſtibus expreſſit cor moriendo piis.
Nobile vivendi genus eſt Mors optima: vivit
Qui moritur: ſi vis vivere, diſce mori.

Epicedion

in honorem exequiarum

Honorabili Dn. Equiti Johanni Goare,

celeberrimæ Reipublicæ Londinenſis per 21 annos Senatori Ex-Prætori, & Patri Patriæ meritiſſimo, 21 Decemb. ſub finem Anni 1636 mortuo & ultimâ die ejuſdem Menſis ſepulto.

TV quoq; Gore, gravis longùm tardante Senectâ,
Annoſa ut quercus pondere, Morte cadis.
Plenus eras annis, numero ſatur atq; dierum,
Et meritis Patriæ primus in Vrbe Pater.
Iam reſolutus humi cinis es, reduceſq; ſepulchrum,
Adderis & funus Fratribus ipſe tuis,
Cedentiq loco ſupplet Garetus honorem,
Qui nova ſit Patriis planta ſubinde focis.
Sic abit humanæ celeri pede gloria vitæ,
Præterit & ſubitâ tempus & hora vice.

Coronidis loco.

Sint ingrata licet multis tamen illa putantur
Grata, animo grato quæ pia Muſa canit.

FINIS.